



Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

Titulus V. De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)

n. 6. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 66.

Dub. 1. utrum vendi, aut pro censu annuo locari possit Jurisdictio temporalis? *negativè.* Et quidem si Jurisdictio ista habeatur ab Ecclesia, venditione tali Simonia committitur, ut dictum est *tit. præc. n. 205.* quia talis Jurisdictio censetur spiritualis dependenter, cum procedat, ac dependeat ab Ecclesia, vel ejus Capite Summo Pont. Suar. l. 4. de Simon. c. 20. n. 19. Barbof. in c. quoniam 2. h. tit. n. 4. Pirhing *bic n. 3.*

Si non habeatur ab Ecclesia, venditio quidem ejus Simoniaca non est, est tamen turpe, & illicitum lucrum: & quia ejus emptores, & conductores magis solliciti esse solent, ut pecuniam datam cum auctario, à litigantibus extortam recuperent, quam ut his tribuant jus, aut Remp. nocentibus purgent, ideo hujusmodi mercatus, tanquam redundans in gravamen subditorum, & Judiciorum perversionem, merito damnatur c. quoniam cit. *Novell. 3. pr. 7. administrationes.* Holt in *Summ. bic n. 1.* Abb. in c. 1. b. tit. n. 1. Fagnan. in c. quoniam cit. n. 5. Gonzal. in c. 3. eod. n. 4. Zoes. *bic n. 1.* Pirhing n. 1. Wiestner n. 4. Reiffenstuel n. 1.

Dub. 2. utrum Prælati, cujus v. g. Monasterio Parochia, vel aliud Beneficium incorporatum est, impune, & absque Simonia, à Vicario, ad id substituto, exigere, & accipere possit Pensionem annuam sub titulo *Absentia*, ut vocant? *affirmativè:* quia eam non accipit pro concessa administratione, aut Vicariatu, sed pro fructibus, tali Vicario relictis; cum enim fructus isti ex natura incorporationis directe ad eum Præla-

tum, & Monasterium, cui Beneficium incorporatum est, pertineat, & Vicario solum congrua portio, sive sustentatio debeatur, nihil prohibet, quò minus cum eodem Vicario, Prælati tractare, & contrahere queat de integris fructibus ei relinquendis pro certa pecuniæ quantitate annuatim sub nomine *Absentia*, vel alio quocunque titulo solvenda, *Conf.* nam tale Pactum in sua natura est Locatio fructuum. possunt autem fructus Ecclesiarum, cum rei spiritualis rationem non habeant, ad breve tempus, scilicet triennij sine solemnitate, & ad longius cum solemnitate concedi, & locari etiam Laico c. *fin. b. tit.* junct. *Extrav. ambitiose de reb. Eccl. non alien.* Trid. *sess. 25. c. 11. de reform.* Vallens. *bic n. 2.* König n. 3.

Dub. 3. quas poenas incurrant, qui contra prohibitionem istius Rubricæ, & textuum subjeutorum sub annuo Censu concedunt Regimen, & potestatem spirituales, Prælaturis, Dignitatibus, Officijs, & Beneficijs annexam? *1.* tam dans, quam accipiens excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data, & accepta est c. *consulere 38. de Simon.* *2.* Qui dat pecuniam pro Officio, aut Jurisdictione spirituali, tale Officium perdit, malè autem ita conferens amittit conferendi illius potestatem c. *præterea 13. b. tit.* *3.* Dans pecuniam removetur à Clero; Episcopus verò, pro illa conferens spirituales Jurisdictionem, quandoque deponitur, quandoque suspenditur ad tempus pro qualitate delicti c. *quoniam 2. h. tit.* *Gloss. ibid. V. Canonica.* Fagnan. in c. *præterea cit. n. 1.* Honor. *bic n. 2.* Reiffenstuel n. 3.

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro Licentia docendi.

Principalis Rubricæ præsentis intentio est determinare, num aliquid peti pro Licentia docendi possit: quod antequam exa-

minem, aliqua præmittenda sunt de Magistris, & Doctoribus, horumque Juribus, creatione &c.

§. I.

De Gradibus, & Honoribus Literarijs.

S U M M A R I U M.

1. 2. 3. Quot sint Ordines Graduatorum?

4. &c. Privilegia, quibus gaudent Magistri, seu Doctores Theologia, Juris, & Medicinæ.

16. &c. Ordo Doctorum in congressibus, & suffragatione in senatu.

19. &c. Penes quos resideat potestas illos creandi?

22. &c. Quanam creari Doctores possint?

28. &c. Quæ sit forma illos creandi?

30. &c. Quid observandum circa sumptus inaugurationis?

32. An Doctorum privilegia competant malè promotis?

33. 34. An iisdem privilegijs gaudeant Doctores Bullati?

35. 36. An Licentiatii?

N 3

Quæ?

1 Quæritur 1. quot sint Ordines Graduatorum? Et tres inveniuntur, videlicet primò Baccalauri, deinde Licentiati, denique Magistri, seu Doctores.

Infimum ex his locum obtinent Baccalauri, sic dicti à *Bacca Lauri*, seu frondibus Lauri baccatis, quæ ad gradum istum promotis concedi solebant, ad significandum, quòd sicut in Baccis, quas ea arbor, ut flores, germinat, spes fructus est, ita Gradus iste ijs tantum Studiosis conferri debeat, de quibus spes concipitur, eos merituos aliquando Laurum, seu Lauream Coronam, quæ olim imponebatur in promotione Doctorum, & Magistrorum. Mend. de Jur. Acad. l. 1. n. 285. Nomenclationem istam nonnulli impugnant: & alij quidem cum Befold. Dissert. de Studios. Sc. c. 6. fol. 37. volunt eos rectius dici Baccalarios à voce *Bachelor*, quæ Gallis militem tiro-nem, aut inferioris ordinis Nobilitatem significat; alij *Battalarios* nominant à *Battulo*, quod veteribus Gallis prælium denotabat; *Dresserus* apud Mend. l. cit. n. 289. censet eos dictos Baccalarios, seu potius Bacularios à *Baculo*, eò quòd liceret Baccalauris baculum portare in templo, & in ludo litterario. Veniunt autem Baccalaurorum nomine illi, qui sui in scientia profectus primum testimonium publicum sunt consecuti. Conferri hic Gradus in plerisque Universitatibus solet ex Philosophia ad finem primi, vel initium secundi anni; ex Theologia ad finem secundi, vel initium tertij: in Facultate Medica, & Juridica ut plurimum exolevit; imò nec in cæteris Facultatibus eum Gradum ad Doctoratum in Italia requiri, affirmat Mandos. ad Reg. Cancell. 16. q. 11.

2 Licentiati ita dicti à *Licentia*, quæ in hoc Gradu conceditur promoti, ut quando-cunque velit, possit ascendere ad Gradum Doctoris, vel Magistri, ab alijs *Mel-lodidascali*, quasi futuri Magistri, seu Doctores appellantur. Veniunt hoc nomine illi, quibus collata est *Licentia*, seu facultas Gradum supremum, seu Magisterium, Doctoratum in aliqua Facultate, cum voluerit, capeffendi. *Licentia* ista nemini concedi solet, nisi tempus, Prælectionibus, & Exercitationibus, in aliqua scientia frequentandis præscriptum, expleverit, & per experimenta omnia summo eo honore dignus sit iudicatus. Antequam *Licentia* hæc concedatur, in plerisque Universitatibus Candidatus jurare debet, se non accepturum esse Gradum Magisterij, aut Doctoratus in alia Academia: quod de Salmanticensi testatur Mendo l. cit. n. 288. de Coloniensi Middendorp. de Academ. l. 1. pag. 135. de nostra Ingolstadtensi, & alijs Germaniæ nostræ Magister usus. Idem affirmat Befold. Dissert. de Studios. c. 8. pag. 91. contingere in quavis Academia; sed in Hispaniis id falsum esse ex praxi ostendit Mendo l. cit. fin.

Magistri, & *Doctores* ita nuncupantur, quòd habeant ab Academia testimonium suæ doctrinæ, & eruditionis, ut ab omnibus consuli queant, eorumque iudicio fidatur, & scientiæ ab eis dictatæ ab Auditoribus excipiantur quasi à docentibus cum approbatione summa. Mendo l. cit. n. 290. Aliqui inter *Magistros*, & *Doctores* discrimen faciunt, & *Magistros* quidem appellant eos, qui ex Philosophia, vel Theologia, *Doctores* autem, qui ex Jure, vel Medicina supremum Gradum adepti sunt. Alij tamen utrumque nomen confundunt, & sub eo comprehendunt quovis quavis Facultate ad supremum in ea Litterarium Gradum promotos. In Germaniæ nostræ Universitatibus nomen *Magistri* solis Philosophis remansit, & *Doctores* titulus indiscriminatim tribuitur omnibus, qui in aliqua ex tribus Facultatibus cæteris supremos honores sunt consecuti, ut notat König hic n. 2. Wiestner n. 4. Reiffensuel n. 3.

Quæritur 2. quænam privilegia habeant Magistri, & Doctores Theologiae, Juris, & Medicinæ? Et ex his quædam sunt communia Doctoribus Theologiae, Juris, & Medicinæ, quædam particularia. Inter communia est 1. quòd per Gradum Doctoralem à plebeja conditione eximantur, & cons. in Dignitate constituentur arg. c. quanto 3. h. tit. Clem. 2. eod. Mend. l. 1. de Jur. Academ. n. 312. König hic n. 16. Reiffensuel n. 6. ibid. & teste Mend. l. cit. consentiunt communiter DD.

2. Nobilibus annuerantur, & consequuntur veram Nobilitatem arg. l. excusantur 2. §. fin. in fin. & l. diximus 4. §. si pater 1. ff. de excus. tutor. ubi dicitur Nobilis, & Nobilissimus Ulpianus ratione scientiæ suæ: & hinc etiam gaudent Nobilium prærogativis arg. c. de multa 28. de præbend. & l. providendum 7. C. de postuland. Mend. l. cit. n. 313. König n. 17. Reiffensuel n. 7. portant enim sine speciali Imperatoris permisso Insignia Nobilium, *Wappen mit offnen Helm*: iisdem unà cum uxoribus jus est gerendi aureas catenas, anulos, & vestes Nobilibus proprias. Recess. Imp. de Anno 1577. Tit. 11. §. 2. item Reformation quæritur Policey Anno 1530. Tit. 15. Unà cum Nobilibus in Capitulares Ecclesiarum Cathedralium eliguntur. Matth. Stephan. de Jurisd. p. 1. Tit. 2. c. 7. membr. 2. n. 68. & seqq. nisi mos, & consuetudo Regionis aliud introduxerit. In Camera paribus cum Nobilibus fruuntur stipendijs. Ordin. Camer. p. 1. Tit. 45. & acceptantur loco Nobilium, maxime si Nobiles non extent idonei Ordin. Cam. de Anno 1533. S. 5. & si femina, etiam nobilissima, nubat Doctori, non dicitur indigno nupsisse. Mendo l. cit. n. 313. & apud hunc Salicet. Philipp. Paschal. Fontanella.

3. Pro Doctoribus, & Magistris stat virtutis, integritatis, & innocentie præsumptio

10. Hinc 1. præ reliquis admovendi sunt ad Officia, & Dignitates five Ecclesiasticas, five Sæculares arg. c. cum in cunctis 7. de Elect. c. de multa 28. de Præbend. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. 2. In gratijs factis de eodem Beneficio, & in pari Data Graduati non Graduatis, & inter Graduatos magis Graduati, & inter æqualiter Graduatos prius Graduati præferuntur juxta Reg. Canc. 17. de Præbend. n. 28. 3. In testimonio dicendo testis Doctor prævalet alteri testi non habenti Dignitatem: imò si ex una parte duo Doctores testimonium perhibeant, ij prævalent tribus ex altera parte contrarium deponentibus. Alex. cons. 18. Libr. 1. in. Menoch. de arbitr. cas. 96. n. 9. Farin. q. 65. prax. crim. n. 114. Benius de Privileg. Jct. p. 2. privil. 53. Besold. Dissert. Studios. pag. 128. Mend. l. cit. num. 325. König hic n. 18. & favet textus, ac Gloss. in c. nostra 32. de test. Et Attest. 4. Si Instrumentum, à Tabellione confectum, amittatur, & de ejus veritate Doctores deponant, ejus veritas, & tenor censetur probatus. Benius l. cit. privil. 83. 5. Interpretatio Legis dubia, à Doctoribus tradita, donec error inveniat, est observanda. Benius privil. 79. 6. Ubi Lex non reperitur, sententia Doctorum pro Lege servatur. Idem privil. 80. 7. Doctori, in praxi bene versato, ac seni, qui attestatur de consuetudine loci, aut Curia, in qua existit, seu de stylo, vel de communi opinione, aut de usu loquendi, fides præstanda erit, donec oppositum probetur. Idem privil. 80.

7. 4. Doctores singulari præ cæteris reverentia, & honore affici debent arg. l. qui necessario 2. §. l. seq. C. de Offic. divers. Judic. Zab. l. 1. conf. 2. n. 20. König hic num. 19. Hinc 1. si inferatur injuria aliqua Doctori, reputatur pro atroci, & major sanè, quam si plebejo irrogaretur: imò hanc ipsi inferens dicitur committere Sacrilegium (quod lærè est accipiendum) qui offendit Jurisconsultum, & si Doctorem actu profitemem percutiat, Lege Julia de vi publica tenetur. Mend. l. cit. n. 324. 2. Non possunt in carcerem mitti propter æs alienum. Jus. Jus. Philippus Paschalis, Fontanella, Halbritter apud Besold. Dissert. de Studios. pag. 131. quod privilegium adeo à nonnullis extenditur, ut velint Doctorum facultates non posse inter creditores à Judice distribui, nisi illi eis non indigeant: sed contradicit Zab. ad l. miles n. 8. ff. de re Judic. & contrarium docet praxis teste Mend. l. cit. 3. Testimonij, vel Jurisjurandi causa non debent ad Tribunal evocari, sed domi coram Actuario examinari, ibique jurare arg. l. ad personas 15. ff. de Jurejur.

8. 5. Examinantur à muneribus tam reallibus, quam personalibus l. Medicos 6. & l. in. c. de Medic. Et Profess. Hinc excusantur l. à munere, seu onere hospitandi mi-

lites l. Medicos cit. Zab. ff. de Procurat. n. 35. Hartm. l. 2. tit. 52. obs. 7. Mend. l. cit. num. 310. cum alijs. 2. A Gabellis, & vectigalibus, cum libros, aliisque res transferunt ad suæ habitationis, seu studiorum locum Auth. habita c. ne fil. pro patr. Besold. Dissert. de Studios. c. 9. Mend. l. cit. num. 310. König hic n. 20. 3. A Solutione Collectarum, etiam tempore belli, nisi publica necessitas adeo urgeat, ut non aliter Princeps queat ei providere, nisi Doctores, & privilegiati Collectas ejusmodi solvant; naturali necessitate stante, privilegium omnè dormit, Mend. l. cit. Quod etiam confirmant Recessus Imperij, dum neminem, quocunque immunitatis privilegio munitum, à Turcicis contributionibus immunem esse volunt, ut præter alios statutum est Ratisbonæ de anno 1613. §. 7.

6. Criminum Rei mitius puniendi sunt, quam plebeij arg. c. in. de pœnis. Hinc 1. criminis, etiam capitalis, suspecti ex arbitrio Judicis potius domi, vel in alio privato loco, adhibitis custodibus, Arresto constringi, quam in publico carcere detineri debent. Farin. prax. crim. q. 33. à n. 60. Mend. l. cit. n. 325. König n. 21. Reiffenstuel n. 10. 2. Non debent subijci cruciatibus, & torturis, etiam si legitimis indicijs gravati sint, eò quòd fruantur privilegijs militum, & eorum, qui in dignitate egregia sunt constituti, præterquam in criminibus exceptis, veluti læsæ Majestatis, prodicionis, hæresis &c. Menoch. de arbitr. cas. 236. n. 22. Farin. prax. q. 39. n. 38. Mend. l. cit. & alij supra. 3. Etiam non sunt afficiendi pœnâ uremij, fuitigationis, laquei, vel alio ignominioso supplicij genere, sed si delictum illorum ultimo supplicio dignum sit, gladio puniri debent arg. l. moris 9. §. istè 11. ff. de pœn. & l. Decuriones 3. C. ex quib. caus. infam. irrogat. Besold. Dissert. de Studios. c. 9. imò nullus Doctor potest pœna mortis affici, nisi prius solenniter degradatus. König n. 21. cit. cum alijs.

Specialia Professorum privilegia sunt, 10. 1. Professores, quantumvis juniores, præferuntur Doctoribus non Professoribus etiam senioribus arg. l. antiquitas 1. c. de Consulib. Alex. & Jalon, in l. cum quis C. de reb. credit. König hic n. 22. v. ad peculiaria.

2. Pro Professoribus militat singularis peritæ præsumptio, ut patet ex Ordin. Cam. p. 1. tit. 4. §. 4. ubi Jurisconsulti, qui in Academijs legerunt, in Cameræ Assessores præ alijs jubentur eligi. König n. 23.

3. Doctor, qui publicè alicubi proficitur, ejusdem loci Civis esse judicatur, Benius de privil. Jct. p. 1. c. 6. atque adeo fruitur cunctis commodis, quibus ex Jure Civitatis reliqui Cives gaudent, Mend. l. 1. de Jur. Acad. n. 308. Et quamvis nemo rem suam teneatur locare alteri juxta l. in visos 11. C. de locat. tamen Doctor potest alienam

do

domum conducere, etiam invito domino, si hic illâ non utatur. Mend. l. cit.

12 4. Eidem domus non est assignanda in loco remoto, sed in pervio ac frequentiori, ut tum à Scholasticis, tum ab alijs commodè consuli queat; censeri enim debet quasi quoddam Civitatis Oraculum, ad quod omnes confugere valeant, Benius l. cit. c. 9. Besold. Dissert. de Studijs, c. 9. Mend. l. cit. Hinc ut commodè studijs vacet, potest fabrum obstrepentem è vico expellere, nisi ipse Doctor elegerit domum in vico proprio fabrorum, vel nisi ipse faber ante conductionem domus illum pravenisset, Menoch. de arbitr. cas. 236.

13 5. Qui S. Theologiæ Lectores sunt, præter alia à Conc. Lat. c. fin. §. docentes h. tit. & Trid. Sess. 5. c. 1. de reform. in fin. hoc sibi concessum privilegium habent, ut quamdiu illam publicè docuerint, etsi absint ab Ecclesijs suis, Præbendarum, & Beneficiorum suorum integros fructus percipiant: imò & Distributiones quotidianas, sed tantum pro illo die, quo legunt, juxta privilegium indultum à Gregorio XIII, teste P. Wiestner Lib. 3. tit. 4. n. 49. nam pro reliquo tempore, aut si sit omnino absens, & extra locum Ecclesiæ suæ, Distributiones Professor non percipit arg. c. licet 32. de Præbend. Gloss. ibid. V. integrè, Fagnan. in c. fin. cit. n. 2. Engl. hic n. 5. Pirhing n. 7. not. 7. fin. & n. 9. not. 2. Schambog. n. 2. Excipiuntur duo casus. 1. Nisi eas alicubi consuetudo Ecclesiæ ipsis concedat. 2. Nisi Beneficiorum fructus omnes, aut major pars in Distributionibus consistat; hoc enim casu, cum Præbendarum loco succedant, duas saltem partes illarum lucrantur, tertia parte accrescente præsentibus, & inservientibus, ut à S. Congr. decisum restatur Fagoan. l. cit. num. 3. Et procedit privilegium hoc, etiamsi nullum habeant stipendium, nec sint conducti mercede, sed voluntariè doceant, dummodo id faciant cum facultate, seu licentia Universitatis, sive Collegij Doctorum, Garc. p. 3. de Benef. c. 2. num. 60. Fagnan. l. cit. n. 7. Reiffenstuel hic n. 15. Extenditurque etiam ad eos, qui publicè tradunt Jus Canonicum, ut notant Abb. in c. fin. cit. Felin. ibid. n. 2. Sylv. V. residentia n. 7. Garc. l. cit. n. 54. Engl. hic n. 4. Pirhing n. 9. not. 2. Schambog. n. 5. König n. 23. Wiestner n. 29. Reiffenstuel n. 14. & declaratum est à S. Congr. teste Fagnan. l. cit. n. 4. De aliarum Facultatum Professoribus secus de Jure communi dicendum videtur: idem tamen etiam istis, si in publica Universitate doceant, conceditur per Bullam Eugenij IV, quam ad omnem Universitatem extendi docet Barbof. in Consult. Canon. l. 3. resol. 88. dub. 1. Engl. hic n. 4. König n. 23. Ratio hujus privilegij TT. & Canonistis concessi est; quia Sacras istas Sententias explicando non minus, imò magis profunt Ecclesiæ, quàm in loco Beneficij residendo.

6. Professoribus, si superveniente senectute, vel morbo, professoriæ suæ amplius superesse nequeant, integrum debet stipendium solvi, acsi viribus integri essent. Speckhan cent. 2. class. 1. q. 10. Mend. l. 1. de Jur. Acad. n. 311. fin. Hermes fascic. Jur. publ. c. 37. n. 23. König hic n. 24. spectat enim ad curam Principis, curare, ne indigeat in senectute is, qui in officio præclare gerendo consenuit arg. l. Lucius 11. ibi Veteranis in præmium ff. de Eviction. Imò si Professor intra annum post inchoatas à se Lectiones moriatur, totius anni salarium ipsi debetur, & transmittitur ad heredes etiam extraneos, tamen si præstatio salarij per angarias, aut menses fieret. Benius de priv. Jct. p. 1. c. 22. Besold. Thesaur. pract. V. Besoldung / Mend. l. cit. n. 311. Herm. n. 22. König n. 24. qui tamen subsistit, utrum istud in praxi subsistat. Idemque est, si Doctores in medio anni cum licentia Superioris ab Academia recedant, aut ratione pestis, vel incurfus hostilis à loco Universitatis cogantur exire. Mend. l. cit. Quod quidem beneficium speciale est, cum ex se alijs, nempe artificibus, merces non nisi pro rata temporis debeatur l. Sejo 10. ff. de annuis Legatis.

7. Ex communi sententia, qui per 20, annos publicè docuerunt Jura, Illustribus annumerantur arg. l. un. c. de profess. qui in Urb. Menoch. de arbitr. cas. 68. num. 43. Wesenbec. cons. 40. n. 5. Laym. in annot. ad Capit. Ferdinand. III. art. 47. pag. 791. Arum. vol. 2. de Jur. publ. disc. 4. Benius l. cit. c. 14. Herm. c. 37. n. 179. König n. 24. §. quintum cum Bartol. Bald. & alijs. Neque ut Reincking de Reg. Sec. l. 1. class. 5. c. 11. §. ult. contendit, l. un. cit. restringenda est tantum ad Professores Urbis Constantinopolitanæ; quia ratio Legis generalis est, Benius, Hermes, König l. cit.

Quæritur 3. quis sit ordo Doctorum in 16 congressibus, & suffragatione in Senatu? ut hoc plurimum penderet à consuetudine. In plerisque locis primum locum obtinent Doctores Theologi, secundum Juris, tertium Medici, ultimum Philosophi, Lencod. p. 3. n. 1. & 2. Cassan. catalog. Glor. Mund. p. 10. Mend. l. 1. Jur. Acad. n. 300. Herm. Fasc. Jur. publ. c. 37. à n. 149. Wiestner hic n. 21. Videtur ordo iste inductus contemplatione objecti, finis, necessitatis, & utilitatis Scientiarum, ex quibus Gradus hi conferuntur, cum Theologia conferat ad salutem animarum supernaturalem, Jurisprudencia ad salutem, & bonum publicum, Medicina ad incolumitatem corporis humani, Philosophia denique Auditores suos ad altiores Disciplinas disponendo, subserviat omnibus.

Potest autem ordo iste præcedentiæ 17 mutari in tribus maximè causis, & casibus. 1. Si, qui inferioris Gradus est Doctor, munus excellentius habeat; ob hoc enim præferri Doctori Gradus superioris debet. Got-

Gottfried. p. 1. de Jur. præc. c. 3. §. 21. Menoch. conf. 92. n. 65. Pignatell. tom. 5. cons. 12. n. 33. Wiestner hic n. 22. 2. Si alicui inferioris Gradus Doctori præminentia concedatur ratione singularis excellentiæ, doctrinæ, experienciæ, meritorum &c. Pignatell. l. cit. num. 30. Wiestner num. 22. 3. Si consuetudine, vel alio Jure speciali ita sit introductum: sic in Salmantina Universitate, teste Mendo n. 300. cit. in itu, fessuque, & suffragio ferendo inter Doctores S. Theologiæ, & Juris is locum superiorum obtinet, qui in Inauguratione Doctorali alterum antecessit.

18. Quoad præminentiam inter Doctores ejusdem Gradus pro Regula datur, eum, qui pluribus Gradibus ornatus est, præcedere unum duntaxat habenti, si unus ex illis, quos ille habet, sit major, vel saltem æqualis illi, quem unicum habet iste. Hinc Felin. in Rubr. de major. num. 3. Bordon. de Professor. c. 5. num. 59. Pellizar. Man. Regul. tr. 2. c. 6. num. 217. Wiestner hic n. 23. Doctorem ex S. Theologia, & Jure Canonico simul præferunt illi, qui ex sola Theologia est Doctor, & Juris utriusque illi, qui tantum Doctor est ex Jure Canonico. Ratio est, quia sunt gemina Dignitate conspicui. Contra non præferitur Doctor utriusque Juris, vel Juris simul, & Medicinæ Doctori Theologo, & multo minus illi, qui Theologiæ simul, & SS. Canonum Doctor est; quia Gradus Juris, & Medicinæ inferior est Gradu Theologico.

19. Queritur 4. penes quos resideat potestas creandi Magistris, seu Doctores? 1. ea potestas indubitatò competit Summo Pontifici, Imperatori, & alijs Principibus Superiorem non recognoscentibus: his quidem ex Jure Civili, Medicina, & Philosophia; illis autem ex Theologia, & Jure Canonico, quòd Scientiæ istæ ex fine suo spirituales sint, conf. eas moderari, & profectum in ijs examinare, probareque doctrinam Ecclesiasticæ sit potestatis. Exercuit potestatem hanc Pius IV. quando Fridericum Staphilum, Universitatis nostræ illustre decus, cui tamen, quia uxoratus erat, nec hæc, nec ulla alia Academia Germaniæ Gradum Doctoratus in S. Theologia, & Jure Canonico concedere voluit, ex utraque Scientia Doctorem renuntiavit, transmissis, & per Archiepiscopum Sailsburgensem capiti ejus imposito pileo rubro, ut refert Mendo l. 1. Jur. Acad. n. 73. Idem quoad Juris Civilis Gradum fecit Lotharius II. Studiorum Civilium restitutor, qui complures Doctores solenni ritu inauguravit, teste eodem Mendo l. cit. num. 360. Item Rudolphus II. qui eodem honore condecoravit Bersium, quem destinavit Legationi Turcicæ, ut præter alios testis est Mendo l. cit. n. 371. Befold. de Studios. c. 9. Herm. Fasc. Jur. publ. c. 37. n. 167. König hic n. 5. Wiestner ibid. n. 6. R. P. Schmalzgrueber L. V. T. I.

2. Eandem facultatem, à Pont. & super-
premis Principibus sibi concessam, habent præ cæteris Studiorum Generalium Universitates, quàm variè exercent; nam in Bononien-
si supremos Gradus Litterarios quoscunque contert Ecclesiæ Majoris Archidiaconus: in Parisina, & Cadomensi Academiæ Cancellarius teste Lenaud. de privil. Doct. p. 1. n. 4. & in Salmantina Universitate Scholasticus, seu Magister Scholæ, testibus Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 5. & Mend. l. 1. cit. n. 171. Neque necesse est, ut ipse Promotor Gradum in ea Facultate habeat, in qua Doctores promovet, ut patet in exemplis allatis, ubi Promotores plerumque solius S. Theologiæ, aut Juris Canonici Doctores sunt; & ostenditur duplici ratione: una est, quia Gradus collatione Candidatus pro eo non primùm approbatur, sed Doctorum examine, ac judicio approbatus Doctor solummodo declaratur, & Insignium traditione quodammodo investitur. Faber in l. tanta 2. C. de vet. Jur. enuel. & Lenaud. l. cit. num. 4. Altera, quia potestas conferendi Gradus Litterarios, ut n. præc. dictum est, residet penes Pontificem, & Principes supremos, qui potestatem illam per viam communicationis possunt transferre in quoslibet. Mendo n. 171. cit.

3. Communicare hanc potestatem so-
let Pontifex, & alijs Principes Comitibus Palatinis, & alijs tum personis, tum Collegijs, prout Doctores S. Theologiæ creandi potestatem cum privilegio Pontificio, & Cætareo habet Rector Collegij Romani, & Germanici Societatis Jesu, licet ipse nullum plerumque in Litteris Gradum habent.

Queritur 5. quinam creari Doctores
possint? 1. omnes, qui non prohibentur. Considerandus autem 1. est Sexus; nam femina: ut docere, ita & doctorari prohibentur can. mulierem 17. caus. 33. q. 5. & l. femina 2. ff. de R. J. Bartol. in l. fin. num. 16. ff. de Colleg. & corporib. Et licet Tiraquell. leg. connov. 11. n. 30. referat, Accursij filiam Jura Civilia Bononiæ publicè docuisse, illam tamen Gradu insignitam fuisse non constat. Benus de privil. Doct. p. 3. privil. 64. n. 20. König hic n. 6.

2. Natales; nam Spurijs, & Illegitimi
in plerisque Europæ Universitatibus excluduntur à Dignitate Doctorali. Mynsing. cent. 4. obs. 31. Harppr. ad §. 1. Inst. de injur. n. 241. König n. 7. etiam legitimitati sint; quia utcumque legitimentur, remanent tamen infames de facto inter bonos, & graves viros. Mynsing. l. cit. Addit tamen Harppr. l. cit. alicubi rigorem istum non semper attendi, & in virtutem, & eruditionem tantum, non verò in natales inquiri, idque testatur de sua Tubingensi Academia. In alijs Illegitimi Dispensationem facile obtinent, si patrum criminum sint exhæredes, & à morum honestate, ac scientia singulariter commendati: & meritò, ne quos

quos propria virtus extulit, culpa aliena deprimat *arg. can. Presbyterorum 1. §. sed hoc intelligendum dist. 56. c. innotuit 20. de Elect. & l. spurij 6. pr. ff. de Decur.* Et ita constat Joannem Andreæ, Gratianum, ejusque fratres Petrum Lombardum, & Comestorem, Jasonem item, & alios natalium quidem defunctum passos, sed postea clarissimos Doctores, ac Professores fuisse. König n. 7. cit.

24 3. *Ætas*: sufficit autem annus ætatis 17. completus juxta Ancharan. *procem. l. 6. Decret. Besold. V. Doctor, & Herm. Fasc. Jur. publ. c. 37. n. 182.* hæc enim ætas sufficit, ut quis titulo JCTi insigniatur, item ad advocandum, & postulandum, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 37. num. 6.* Et hac ætate Nerva publicè de Jure responsurâ legitur *l. hunc titulum 1. §. initium 1. ff. de postuland.* quæ forma olim ad constituendos Jurisconsultos exigebatur: item ea ætate quis Judex Pedaneus esse potest *l. quidam 57. ff. de re judic.* Et merito; quia non annorum numerus, sed scientia Doctorales honores meretur. *Gloss. in l. 11. §. 1. v. Jurisperitos C. de Advocat. divers. Judic. & ut in alijs malitia, ita hic scientia ætatem supplet.* König hic n. 8.

25 4. *Fides*: ob hanc à Gradu Doctoratûs repelluntur Judæi; quia Doctoratus est Dignitas, cujus Judæi sunt incapaces *l. fin. c. de Judæis.* Idque procedit non tantum de Doctoratu S. Theologiæ, & Juris Canonici, sed etiam Legum: quia Leges ad DEI obedientiam præsertim diriguntur, ideoque sacratissima vocantur *l. Leges sacratissime 9. C. de LL.* Imò ne quidem ad Doctoratum promoveri possunt ex Medicina, ut cum Bartolo, Host. Anchar. Abb. Felin. & alijs à se cit. notat Pignatell. *tom. 8. consult. 144. n. 3.* quidquid de contraria praxi opponat Ricciull. *de Jur. person. l. 2. c. 25. n. 4.* quæ teste eodem Pignatell. *l. cit. n. 6.* non est attendenda, ob duplex responsum Summi Pontificis, unum, quod dedit 8. Nov. 1618, ubi cum diceretur, quòd quidam Judæi tam in Universitate Urbis, quàm aliarum Civitatum ad Doctoratûs Gradum ex Medicina promoti essent, dixit, ista fuisse facta per abusum, & propterea mandavit moneri Rectorem Universitatis Urbis, ne ipse, aut ipsius Collegæ id porro facerent: alterum, quo, cum quidam Judæus in Universitate Pisarum suscepisset Lauream Doctoratûs, de ejusdem Pontificis mandato 16. Sept. 1621. scriptum est Nuntio Apostolico, ut ageret cum Magno Duce Hetruriæ, quòd provideret, ne deinceps in ea Universitate Judæo conferretur Gradus Doctoratûs.

26 5. *Litterarum Scientia*, quæ in Candidatis si non eminens, & exquisita, saltem debita, & sufficiens desideratur, König hic n. 10. Et hinc, qui in præmissò Examine inventus est minus habens, & Gradu isto indignus,

ad eum Gradum promoveri nequit: quod patet 1. ex Formula, quâ constituuntur Comites Palatini, ubi potestas ipsis conceditur admittendi ad Gradus Litterarios, non nisi eos, qui prævio, diligenti, & rigoroso Examine probati fuerint. 2. Ex Constitutione Sixi IV. confirmatoria nostræ Universitatis incipit *In eminenti editâ Cal. Aug. 1477.* ubi hic Pontifex dictæ Universitati concedit potestatem promovendi ad Gradus Litterarios Scholares solum habiles & idoneos, rigoroso præcedente Examine. 3. Ex ratione; quia cum graviora utriusque tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ Reip. negotia plerumque committi soleant personis Graduatæ, si ad eos Gradus promoverentur indigni, periculum foret, ne muneri suo malè præsent, quòd ad illud gerendum necessariâ doctrinâ destituti sint; quod cum in grave damnum boni publici cedat, idcirco plerisque DD. cum Lenaud, de privil. Doctor. p. 1. n. 55. Mend. l. 1. Jur. Acad. num. 365. König hic num. 10. Wiestner *ibid. num. 14.* reos gravis peccati faciunt eos, qui ita indignos ad hujusmodi Gradus promovere præsumunt.

6. *Morum honestas*, nam Magistros 27 Studiorum, Doctorisque excellere oportet moribus primùm, deinde faciendâ; ut dicitur *l. Magistros 7. c. de Profess. & Medic. & immorgeri, ac mali ingenio, licet periti sint, ac boni ingenio, reprobari possunt.* König num. 11. hic. Præsertim verò à Gradibus Academicis arcenti sunt infames infamiâ, sive facti, sive facti; quia sunt Dignitas, & infamibus portæ Dignitatum patere non debent, ut dicitur *Reg. infamibus 87. in 6.*

Quæritur 6. quæ sit forma promovendi 28 Doctores, sive Magistros? R. 1. præmittendum est rigorosum Examen, quo exploretur ipsius Candidati scientia, & eruditio *l. Magistros 7. c. de Profess. & Medic.* Examen tamen istud, si aliunde satis de idoneitate constet, Professores, ut quorum discretionis, & conscientie examinatio à Principibus committitur, remittere possunt per ea, quæ tradit Bald. *in c. constitutis 46. de Appell. & ex eo König hic n. 13.*

2. Præmittenda est Professio Fidei 29 juxta Bullam Pij IV. alioquin irrita erit collatio Gradus, prout censuit S. Congr. apud Joann. Gallemart ad Trid. *sess. 2. c. 2. de reform. Benium de Privil. Doct. p. III. n. 3.* König n. 13. cit.

3. In ipsa promotione tradantur Candidato Insignia Doctoralia, necesse est: atque hinc Besold. *Dissert. de Jur. Academ. c. 4. n. 7.* infert, absentem post rigorosum Examen per Procuratorem promoveri non posse, cum hæc solennitates quædam actio Legis esse videantur, quæ Procuratorem respicit *l. nemo 123. ff. de R. I.*

Quæritur 7. quid observandum circa 30 sumptus, impendendos in solennitate Inaugurationis Doctoralis? R. hos moderata est

est *Clem. 2. b. tit.* ubi sub poena semestralis Suspensionis à Collatione Graduum ijs omnibus, penes quos Gradus Litterarios conferendi potestas sita est, præcipitur, ut à Candidatis ante promotionem exigant Juramentum, quo promittant, se in ea solemnitate ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos secundum Gloss. in *Clem. cit.* non impensuros. Cujus *Clem.* usus in quibusdam Universitatibus, teste Pirhing *hic n. 14.* abolitus; in alijs nunquam introductus; in nostra autem Universitate Ingolstadtiana etiamnum viget, & Juramentum exigitur ab omnibus, qui Licentiam Supremi Gradus capeffendi sibi conferri petunt. Potest autem, ut addit Schambog. *hic n. 7.* etiam ubi viget observantia hujus *Clem.* excedi in ista quantitate casu, quo promovendus fuerit notabilis conditionis, seu status altioris, ita tamen, ut summa ei taxetur.

³¹ Rationem hujus suæ Constitutionis inuit *Clem. cit.* Pontifex, quòd tempore illius Constitutionis condita multi in suam Doctoralem Inaugurationem adeo excessivè impensas fecerint, ut *transfente hac expensarum vanitate, plerumque remanerent vacui, & are alieno gravati, ex hausto in eos sumptus Patrimonio suo: cui rationi ibidem altera additur, quòd ceteri, qui vel nolunt, vel nequeunt similes expensas subire, hac occasione frequenter à receptione honoris hujusmodi retraherentur, licet fortasse digniores alijs essent, cum non parvo rei literariæ, & boni publici detrimento.* Adjungi potest ratio *tertia*, quòd indignum videatur, scientiæ defectum pecuniâ, sive, ut Gloss. *V. excedunt*, & *Abb. n. 8.* loquuntur, imperfectum scientiæ suppleri perfectione expensarum.

³² Queritur 8. an Doctorum Privilegia competant malè promotis? Negant Guid. Pap. *q. 88.* Ripal. *2. respons. c. 20.* Roland. à Vall. *l. 1. conf. 66. n. 40.* & *41.* Menoch. *de arbitr. cas. 379. n. 12.* Belsold. *Dissert. de studios. c. 10 fol. 145.* quòd cessante privilegij causa, privilegium cesset *c. cessante 60. de appell.* P. Wiestner *hic n. 15.* licet æquitati consonam sententiam istam dicat, monet tamen in praxi magnopere cavendum esse, ne communes Doctorum prærogativæ, & privilegia facilè denegentur ei, cui ab aliquo Collegio Academico, vel Comite etiam Palatino Doctoralis Laurea concessa est, nisi nomen hoc Dignitatis, quòd malè obtinuit, Principali, vel alia legitima autoritate ablatum ei sit.

³³ Queritur 9. an iisdem Privilegijs gaudeant Doctores Bullati, seu illi, qui Gradum Doctoralem non in aliqua Studiorum Generalium Universitate, sed Rescripto Principis, vel à Comite Palatino adepti sunt? Negant Alex. in *l. Centurio de vulg. substit. n. 10.*

20. 21. Guid. Pap. *q. 68. n. 3.* Coler. *de Process. Execut. p. 2. c. 3. n. 129.* & alij. Sed distinguendum inter eos Doctores est, & ijs quidem, qui à Summo Principe Sæculari, vel Ecclesiastico, prævio Academicorum, vel aliorum Doctorum Examine, Gradu isto judicati sunt digni, afferenda privilegia Doctoralia omnia; imò prærogativa inter Doctores ceteros.

De alijs autem, qui à Comitibus Palatinis, & alijs, prætextu facultatum, à Sede Apostolica sibi indultarum, promoti sunt, S. Pius V. *Const.* incipit, *Quamvis 1568. edita* statuit, ut nullâ ejusmodi gradus prærogativâ, Dignitates, cæteraque Beneficia Ecclesiastica concernente, gauderent. Quia in re Sanctus hic Pontifex inhæsit vestigijs *s. synod. Trid. quæ sess. 22. c. 2. de reform.* exigis, ut ad Dignitates, & Beneficia illi assumantur, qui in Universitate Studiorum aliqua Magistri, aut Doctores vel Licentiatum in S. Theologia, vel Jure Canonico meritò sunt promoti; hocque declaravit *S. Congreg. Card. Trid. Interpp. in Elnens. 17. Jan. 1643.* iisdem per *Ordin. Cam. p. 1. tit. 3. § 18.* excluduntur ab Ordine Assessorum Cameræ, ejusque Commissariorum.

Queritur 10. an Licentiatum gaudeant Juribus, & Privilegijs Doctorum? Magna circa hos est AA. dissensio. Negant aliqui, ex ratione, quòd ea Jura, & Privilegia primum tribuantur in Inauguratione cum Insignibus Doctoralibus, igitur ante illam Licentiatum non competunt. *Affirmant* alij, ex fundamento non levis momenti, quòd Jura illa, & privilegia Doctoribus competant non ratione solemnitatis adhibita in Promotione, sed ratione excellentis doctrinæ, quæ per Examina manifestatur, & per Licentiæ concessionem legitime approbatur; in promotione autem, cum ea absque novo experimento fiat, non crescit, nec magis apparet.

Tenenda est Sententia media, & cum Alciat. *ad l. 57. ff. de V. S. Ricc. prax. p. 2. resol. 467.* Lenaud. *de privil. Doct. p. 4. n. 11.* Belsold. *de studios. c. 8.* Herm. *Fasc. Jur. publ. c. 37. num. 160.* König *hic n. 26.* Wiestner *n. 18.* Reiffenstuel *n. 12.* dicendum Licentiatos Jure Doctorum ceteri in favorabilibus, non verò in odiosis: conf. admittendos ad Dignitates, Beneficia, & Officia omnia, ad quæ admittuntur Doctores, nisi expressè requiratur promotionis qualitas; non verò repellendos, sicubi, ut Hamburgi à Dignitate Senatoria, repelluntur Doctores. Probat hoc ratio secundæ Sententiæ, & confirmatur *arg. l. filius. 43. ff. de Testam. milit.* sicut enim hoc textu proximè accingendus pro accincto, ita hic proximè doctorandus pro Doctorato habendus est.

S. II.

De Magistro, præsertim Theologo, & Præbendæ Theologali.

S U M M A R I U M.

37. Ex Decreto Concilij Later. constituendi sunt Magistri ad instituendam juventutem.
38. Ubi?
39. Quid constituerit de his Tridentinum?
40. Unde hujusmodi Magistro subministranda vitæ subsidia?
41. An ad Præbendam Theologalem ab Episcopo admitti valeat etiam Canonista?
- 37 **P**lurimum semper attendit Ecclesia, ut ad Divinorum administrationem, & cæteras functiones Sacras idoneos semper haberet Ministros: hinc Concilium Lateranense sub Alexandro III. c. quia nonnullis 4. b. tit. relatum statuit, ut Magistri ubivis constituerentur, qui juventutem in bonis artibus, & Clericos in Sacris Disciplinis instituerent.
- 38 **Q**uæritur 1. ubinam hujusmodi Magistri constituendi sint? s. juxta cit. Conc. Later. constituendi sunt in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, cum discrimine tamen; nam si Collegiata, vel Cathedralis inferior esset, voluit, ut ibi saltem constitueretur Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes Grammaticæ præceptis gratis erudiret: si verò Metropolitana, præcepit addi Magistrum Theologum, à Prælato cum consensu Capituli sui deputandum, qui Sacerdotes, & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectant c. quoniam 1. & c. quia nonnullis 4. b. tit.
- 39 **A**uxit obligationem hanc S. Synodus Trid. dum Sess. 5. c. 1. de reform. voluit, Magistrum Theologum constituendum in quavis Ecclesia Cathedrali, & Collegiata, si existat in insigni aliquo Oppido, nisi redituum tenuitas hoc prohiberet; tunc enim statuit in ea constituendum saltem Grammaticum. Adidit ibidem v. in Monasterijs, Lectionem S. Scripturæ, vel Theologiæ habendam etiam in Monasterijs, & Conventibus Regularium, in quibus id fieri commodè potest, data Episcopis potestate, ut casu, quo Abbates ea in re negligentes fuerint, eisdem etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati ad ejusmodi Lectionem instituendam compellerent. Hodie tamen, ut notat Wagnereck in c. 4. cit. in Exeges. ob multiplicatas passim Academias, & Gymnasia Ecclesiæ Cathedrales, & Collegiata (idem dici poterit de Monasterijs) à curis, & impensis ejusmodi Magistros constituendi plerisque in locis liberantur.
- 40 **Q**uæritur 2. unde hujusmodi Magistro subministranda sint vitæ subsidia? s. hic di-
- stinguendum est inter Jus antiquum Concil. Later. & novum Trid. nam antiquo Jure eisdem unius Præbendæ reditus erant assignandi c. quia nonnullis cit. v. Assignetur. At novo Jure Trid. discrimen fit inter Grammaticum, & Theologum. Et Grammatico quidem, quamdiu in docendi munere persisterit, jubentur assignari fructus simplicis Beneficij, vel ex redditibus Mensæ, aut Capitulari, vel aliunde merces condigna persolvi. Sess. 5. c. 1. cit. v. ideoque. De Magistro Theologo autem statuit, ut eidem Præbendæ quomodocunque, aliter, quam per resignationem, primò vacatura, & aliud onus incompatible annexum non habens, deputetur c. 1. cit. v. in Ecclesijs quæ proinde ad eum usum, ut ibidem dicitur, perpetuò deputata manet, & Præbendæ Theologalis, eam verò obtinent Scholasticus, vel Magister Scholæ dicitur, evaditque verus Canonicus. Barbof. in c. 1. b. tit. n. 12. Gonzal. in c. 4. eod. n. 5. Pishing hic n. 7. not. 7. Wæstner ibid. n. 27.
- Q**uæritur 3. an ad Præbendam hanc ab Episcopo admitti valeat etiam Canonista? Rationem dubitandi facit textus concil. Later. & Trid. cit. ubi pro ista Præbendæ Theologus, & Lector Theologiæ ad S. Scripturæ interpretationem disertè requiritur, ut videre est l. cit. Sed dicendum, posse ad eam admitti Canonistam. Ita ad dubium istud, ab ipso Papa propositum, unanimi consensu declaravit S. Congr. 14. Novembr. 1626. & confirmavit in Polignan. die 3. Dec. 1639. in Ostunensi 20. Jul. 1641. in Astensi. 2. Febr. 1646. in Mazarinensi. 12. April. 1651. apud Pignatell. tom. 1. consult. 147. n. 1. & 17. Ratio est, quia cum SS. Canones non solum Spiritu S. inspirante sint editi, sed moralis Theologiæ Regulas præcipuas, & ferè omnes suppedient, hos explanando Canonista officium Theologi implet, & etiam ipse S. Scripturam explanat: ut proinde Sylv. V. Doct. num. 5. su. V. de Doct. verè Juris Canonici Jus Canonicum non immeritò appellet Theologiam præcticam.

S. III.

De Pretij exactione pro Licentia, & officio docendi.

S U M M A R I U M.

41. &c. Utrum sine Simonia accipi, vel peti aliquid possit pro docendi Licentia?
42. Vel pro ipso actu docendi?

41. Q. Ueritur 1. utrum pro docendi licentia aliquid accipi, vel peti sine Simonia possit? Videtur non posse 1. ob Rubricam, & textum c. prohibeas 2. b. tit. ubi vetatur, ne aliquid exigatur pro licentia docendi, & subiungitur ratio, ut scilicet gratis detur, quod gratis acceptum est: quæ ratio etiam Simoniacos percutit. 2. Quia aliquid ex ista causa accipientibus eadem poena statuitur, quam Simoniam committentes incurrunt, ut adeo signum sit idem committi delictum. 3. Quia Gradus Litterarum autoritate Apostolica, quæ spiritualis est, instituti sunt, & eadem autoritate conferuntur; adeoque spirituales videntur esse, & cons. constituere materiam Simonia.

43. Sed dicendum, etsi illicitè agat, qui pro licentia docendi, aut Gradu Litterario petit pretium, per hoc tamen Simoniam reuera nullam committere. Ita post Innoc. Abb. Antonia. Tabien. & alios antiquiores docent Lessl. l. 2. de Just. c. 35. n. 82. Suar. l. 4. de Simon. c. 12. n. 19. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. n. 31. Palao iv. 17. D. 3. p. 10. n. 3. & 4. Fagnan. in c. quoniam 1. b. tit. n. 12. Barbof. ibid. n. 8. Wagnereck in c. 2. eod. not. 1. Gonzal. in c. 4. n. 6. Vincent. Petra tom. 4. comment. fol. 51. n. 6. Valent. hic n. 2. Zæf. n. 1. & 3. Engl n. 8. Piching n. 2. not. 2. n. 12. coroll. 1. & n. 13. coroll. 4. König num. 30. Wietner n. 35. Reiffenituel n. 18. & 19. Friderich de Simon. c. 4. n. 137. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 72. & 73.

44. Et quidem quòd illicitè agat, patet ex Rubrica Tit. pres. quæ cum sensum perfectum habeat, ex communi Regula vim Juris obtinet. Estque hoc ita verum, ut hujusmodi exactio, vel acceptio nulla etiam consuetudine coonestari possit, utpote quæ c. quantò 3. b. tit. apertè reprobatur. Qui verò hujusmodi prohibitioni contraxerint, id, quod acceperunt, jubentur restituere, & simul puniri ademptione Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, quibus potiuntur c. quoniam 1. & duob. seqq. b. tit. Idque merito, sordities enim est à viris doctis extorquere pretium pro facultate docendi honestas, & Reip. salutare Disciplinas, ad quas tradendas muneribus, honoribus, precibus invitari eodem oporteret. Ex eadem causa, si quid ex causa ista promissum duntaxat, non verò solum sit, remitti debet, ne melioris

49. &c. Præsertim in Theologia, & Jure Canonico?
54. &c. An sine periculo Simonia pretium peti possit pro Consilio, seu Responso Theologico, aut Canonico?

conditionis sit is, cui promissum, quàm cui solum est: quod confirmatur; nam turpes, & illicitæ promissiones nullæ sunt, & non obligant c. fin. de Pañ. l. generali 26. ff. de V. S. Gloss. in c. 2. b. tit. V. remitti, Pirhing hic n. 3.

Quod verò per talem acceptionem, 49. vel exactionem Simonia non committatur, inde ostenditur; nam Gradus Litterarum duo includunt; scilicet Dignitatem, & privilegia, quæ æstimationem, & pretium nullatenus respuunt; & licentiam docendi, quæ, nisi proveniat à potestate spiritualis Jurisdictionis, merè quid temporale est, ut adeo nihil sit, quod in hac materia mercem Simonia constituat. Excepi, nisi proveniat à potestate spiritualis Jurisdictionis; nam hoc si fiat, & Prælati Ecclesiastici, cui ex Officio incumbit, Professuram aliquam cum Beneficio Ecclesiastico, quod ei Professuræ annexum est, conferre, pro ejus concessione pretium præsumat exigere, vel accipere, Simonia vitio se indubitato obstringit. Laym. c. 8. cit. n. 31. coroll. 1. Engl hic n. 8. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 76.

Addidi n. 43. prohibitum esse aliquid 46. accipere pro ipsa docendi licentia; nam pro labore, qui subitur in Candidatis Graduum examinandis, approbandis, & approbatis inauguranis, peti aliquid tanquam stipendium laboris potest. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 6. fin. Imò etiam tanquam pretium, si hoc accipiat non pro ipsa licentia docendi, sed pro honore, emolumentis temporalibus, communicatione privilegiorum &c. quæ in Graduum Litterariorum collatione acquiruntur, ut cum alijs notat Zæf. hic n. 3. Schambog. n. 10. König n. 31. Potestque pretium istud augeri, quanto sublimior Gradus, & emolumenta majora sunt, quippe quorum æstimatione ex quantitate crescit. Et ex hoc capite accipitur, quod defacto in collatione Graduum ex Universitatibus usitatissima; & universali praxi accipitur.

Neque obstant Argumenta n. 42. in contrarium allata. Ad 1. ad Simoniam non sufficit aliquid esse gratis dandum; sed requiritur, ut temporale detur pro spirituali, aut spirituali annexo. Ad 2. sæpe diversis criminibus eadem taxatur poena. Ad 3. autoritate Pontificia conferri possunt etiam aliqua temporalia ad utilitatem, & splendorem

dorem spiritualium, quæ tamen non hoc ipsa materia Simoniam fiunt, nisi specialiter prohibeantur intuitu Religionis, quod in præfenti casu non contingit.

48 Quæritur 2. utrum accipi, vel peti aliquid possit pro ipso actu docendi, ut Simoniam labes non contrahatur? *Certum est*, posse sine periculo Simoniam aliquid accipi, & etiam peti pro actu docendi Scientias merè naturales, puta Juris Civilis, Medicinæ, Philosophiæ, & Artium Liberalium; quia istarum Scientiarum nec explicatio, nec notitia aliquid spirituale est, aut spirituali annectum: conf. mercem Simoniacam non constituit.

49 *Controversia est de S. Theologia, & Jure Canonico: in qua dissident inter sese DD, nam Paludan. in 4. dist. 25. q. 5. n. 20. Antonin. p. 2. tit. 1. c. 5. §. 7. not. 6. fin. Sylv. V. Simonia q. 10. Simoniam accusant eos, qui pro his scientiis docendis recipiunt, aut promittunt pecunias. Contra Gloss. in can. de quibusdam 12. V. Magistri dist. 31. Adrian. quodl. 9. art. 1. fin. Victor. relect. de Simon. n. 6. cum alijs eisdem à Simoniam culpa absolvunt.*

50 Tribuendum utrique Sententiæ aliquid, & 1. distinguendum, inter Theologiam merè naturalem, seu quæ de DEO ut authore naturæ agit, & inter eam, quæ eundem, tanquam Authorem Supernaturalium explicat. De prima certum est, quòd pro illa docenda recipi, & peti aliquid temporale possit; quia nihil supernaturale continet. Sanch. l. 2. conf. c. 3. dub. 5. n. 1. Mendo l. 2. Jur. Aca- dem. n. 101. Wiest. hic n. 36.

51 Quoad secundam abhibenda est secunda distinctio, an alia scientia Theologica sit infusa à DEO ad cognoscendas veritates Divinarum Scripturarum, quæ in SS. Literis interpretatio sermonum dicitur, & inter Dona Spiritus Sancti connumeratur; an verò sit acquisita. Si primum, communicatio ejus pro pretio Simoniacæ est; tum quia Donum Spiritus S. pecuniâ possideri non potest; tum quia per interpretationem veritatem S. Scripturæ ordinatur ad generandam DEI, rerumque supernaturalium cognitionem, & amorem, qui finis Supernaturalis; & spiritualis est. Less. l. 2. de Just. c. 35. n. 77. concl. 3. Mendo l. cit. n. 102.

52 Si secundum, tertio distinguendum est, & videndum, quomodo, & in quem finem communicetur; nam si ordinata sit ad infideles instruendos, Hæreticos erroris convincendos, Fidelium animos ad amorem, & cultum DEI excitandos, absterrendos à peccatis, eorumque conscientias à scrupulis liberandas, prout Concionatores; Catechistæ, & Confessarij solent, exactio pretij, vel alterius rei temporalis Simoniam non caret; quia scientia talis ex fine suo est supernaturalis. Less. n. 77. cit. concl. 2. & n. 78. §. ubi notandum, Azor p. 3. l.

12. c. 17. q. 4. Suar. l. 4. de Simon. c. 18. n. 22. Laym. l. 4. tr. 10. c. 8. n. 32. Palao tr. 17. D. 3. p. 10. n. 6. §. 7. Mendo l. cit. n. 104. Wiestner hic n. 38. Reiffenstuel ibid. n. 15. cum S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3.

At si interpretatio illius solum ordinetur, & instituta sit ad Auditorum intellectum illustrandum, vel eorum memoriam juvandam, ut in Scholis Professores solent, sine periculo Simoniam pro ea docenda pretium potest accipi, ut verisimilius docent Azor q. 4. cit. §. c. 18. q. 6. Less. n. 7. §. n. 79. §. de prima, Suar. n. 7. Laym. n. 30. concl. 2. Palao n. 4. Mendo n. 103. Barbosa. in c. 1. b. tit. n. 8. Wagnereck in c. 2. eod. not. 3. Zœf. hic n. 5. Pirhing n. 11. Wiestner n. 39. Reiffenstuel n. 25. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 1. n. 73. Ratio est, quia non apparet, ex quo capite supernaturalis sit, ut mercem Simoniacam possit constituere: non enim 1. supernaturalis est ex ratione principij; quia Fidem supernaturalem necessariò non supponit, cum Discursus Theologicos formare etiam Hæreticus, & de Fide voluntariè dubius possit: non 2. ratione finis; quia, ut ostensum est, finis ejus, in quem proxime est instituta, naturalis duntaxat est: non 3. ratione veritatum supernaturalium, & à DEO revelatarum, quas supponit; quia ista in Discursu Theologico non necessariò à Fide pendunt, & in Conclusionem Theologicam modo solum naturali influunt.

Quæritur 3. an sine periculo Simoniam pretium possit exigi pro Consilio, seu Responso Theologico, aut Canonico? hic adhibendam distinctionem ultimam præcedentem; nam si responsum redderetur ad obtinendam Pagani conversionem, Hæretici ad gremium Ecclesiæ reductionem, ad timorem DEI, & amorem, rerum fluxarum contemptum, virtutis studium in Fidelibus excitandum, sine labe Simoniam pro ejusmodi Responso pretium peti, & accipi nequit; quia est actio spiritualis, & ex fine suo Supernaturalis.

Contra pretium pro eo absque periculo Simoniam exigi potest, si ordinetur ad intellectum duntaxat propositæ dubitationis resolutione, istiusque rationibus deductis illustrandum, ut cum S. Thom. art. 3. cit. defendunt Suar. c. 18. cit. n. 19. §. 20. Laym. n. 32. fin. Palao n. 5. Correa Idea Confl. D. 8. n. 2370. Wagnereck in c. 2. b. tit. not. 3. Zœf. hic n. 6. Pirh. n. 13. coroll. 3. Wiestner n. 40. Friderich de Simon. c. 4. n. 139. Ratio est, quia Responsum hoc est actus naturalis, quo communicatur Scientia, humana industriâ acquisita, per modum Magisterij ad finem naturalem.

Neque obstat, quòd interrogans tali Responso aliquando utatur ad dirigendam, & pacandam conscientiam; quia istius intentio non mutat naturam actionis, seu

Responsi, quod ex se ad intellectum veritatis cognitione erudiendum ordinatur. Zœf. n. 6. cit. aliàs Simoniacus foret etiam Legum Doctor, aut causarum Patronus, ex Jure Civili docens, utrum hic, vel ille Con-

tractus sit licitus, aut non, si alter Responsum petit ad vitandum peccatum, aut tranquillandam conscientiam, vel ad exercendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, quod nemo, ut opinor, asseruerit.

TITULUS VI.

De Judais, Sarracenis, eorumque Servis.

S U M M A R I U M.

1. Infidelitatis Species.
2. Definitio Paganismi.
3. Et Judaismi.
4. 5. 6. An Divisio Infidelitatis in Paganismum, Judaismum, & Hæresim sit adequata?
7. Quenam ex his Speciebus sit gravior.
8. Sc. An, & qualis communicatio cum paganis, & Judeis prohibita Christianis sit in Divinis?
13. Sc. An licitè inter Christianos tolerantur Judei, horum synagoga, & ritus.
20. Sc. An, & quousque Christianis prohibita sit communicatio cum Judeis, & Infidelibus in humanis, & Politicis?
27. Sc. Quenam Judeis, Christianorum Principum potestati subjectis, sint interdita?
31. Sc. Quenam Jura iisdem, in Tutelam le-

- gitimè receptis, concessa sint, que contra illos fieri prohibita?
36. Sc. Quomodo, & à quo Judei delinquentes possint, & debeant puniri?
40. Sc. An ab Ecclesia procedi possit adversùs invalidè baptizatum?
45. Sc. Quenam Christianis Jure Canonico interdita sint circa Sarracenos, seu Paganos, & alios Infideles?
48. Sc. An liceat Principi Christiano cum his invire sœdus auxilij contra fideles ferendi causâ?
51. Sc. An Judei, Sarraceni, & alij Infideles cogi possint ad suscipiendum Baptismum?
55. Sc. Et audiendam predicationem Evangelij?

Simoniam sequitur Infidelitas, quæ, quòd veri Cultûs Divini ipsa fundamenta convellat, multò magis, quàm Simonia Religioni opponitur.

- Quæritur 1. quotuplex sit Infidelitas?
1. Infidelitas in genere accepta dicitur esse triplex. 1. Infidelitas negativa, eorum scilicet, qui nihil unquam de fide audiverunt: & hæc non tam est peccatum, quam peccati poena; quia si fecissent, quod in ipsis erat, DEUS Fidem eis non abscondisset. 2. Contraria: hæc penes illos est, qui Fidem sibi sufficienter propositam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter, quales sunt Hæretici. 3. Privativa, sic dicta, quia privativè opponitur fidei, & est culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei. Busenbaum l. 2. tit. 1. c. 4. dub. 1. Schambog, hic n. 2.

Infidelitas Contraria ex modo repugnandi fidei subdividitur in Paganismum, Judaismum, & Hæresim: de hac ultima dicitur Tit. seq. Paganismus est error, vel secta repugnans Fidei Scriptæ, sive negans Mysteria, & veritates, à DEO revelatas tum in veteri, tum in novo Testamento: qui hunc sectantur, Pagani, & Gentiles dicuntur. Hujus species est secta Sarracenorum, à Sara uxore Abrahamæ, à qua se originem trahere mentiuntur, vel potius, ut ex Paul. Emil. l. 7. Franc. Histor. referunt Azor p. 1. l. 8. c. 23. q. 1. & Vincent. Petra tom. 1. comment. fol. 559. n. 4. à Sarraca Arabiæ civitate nuncupatorum, qui neque vetus, neque novum Testamentum

integre, sed utrumque ex parte duntaxat admittunt, & impij Mahumetis Alcorano adhærent: quales hodie sunt Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Ægyptij, Mauri &c. Azor l. cit. q. 4. Barbof. in c. 6. b. tit. n. 3. V. lens. hic n. 9. Pirh. ibid. pr. Schambog. n. 4. Wieltnor n. 2. Magnif. P. Schmier p. 2. de Delict. c. 3. n. 3.

Judaismus est error hominum Legem duntaxat Mosaicam sectantium; quamvis enim Lex vetus, digito DEI conscripta, & per Moysem Hæbræo populo promulgata fuerit, quia tamen (quoad præcepta ceremonialia, & Judicialia) solum erat umbra, & figura eorum, quæ in Testamento novo erant lancienda, proindeque cum adventu novæ Legis disparuit, hinc graviter errant, & peccant Judæi, qui Legem veterem jam abrogatam, anteponunt novæ. Porro vocis *Judeus* duplex acceptio est; nam aliquando accipitur ad significandam Gentem, sic dictam à Tribu Juda, quæ cæteris erat bellicosior, & præstantior, cum priùs appellarentur Hebræi ab Hebro, cujus familia cultum veri DEI semper tenuit, cæteris Idolatriæ foedatis Host. summ. h. tit. n. 1. & 2. Sylv. V. *Judeus* pr. n. 1. Pirhing hic pr. Aliquando verò (prout etiam sumitur in præfenti Titulo) est nomen Sectæ: & sic *Judei* dicuntur illi, qui, ut dictum, adhærent soli Veteri Testamento absque fide in Christum, tanquam verum Messiam, & humani generis Redemptorem, quem proinde

non